

haec tua justitia, et lenitas animi florescet quotidie magis, ita, ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahat, tantum afferat laudibus. Et ceteros quidem omnes victores bellorum civilium, jam ante aequitate et misericordia viceras: hodierno vero die te ipsum vicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quae illa erat adepta, victis remisisti. Nam cum ipsius victoriae conditione jure omnes victi occidissemus, clementiae tuae judicio conservati sumus. Recte igitur unus invictus es, a quo etiam ipsius victoriae conditio visque devicta est.

V. Atque hoc C. Caesaris judicium, P. C., quam late pateat, attendite. Omnes enim, qui ad illa arma fato sumus, nescio quo, reipublicae misero funestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus. Nam cum M. Marcellum, deprecantibus vobis, reipublicae conservavit: memet mihi, et iterum reipublicae, nullo deprecante, reliquos amplissimos viros, et sibi ipsos, et patriae reddidit: quorum et frequentiam, et dignitatem hoc ipso in confessu videtis: non ille hostes induxit in curiam, sed judicavit, a plerisque ignoratione potius, et falso atque inani metu, quam cupiditate aut crudelitate civile bellum esse susceptum. Quo quidem in bello semper de pace agendum audiendumque esse putavi, semperque dolui, non modo pacem, sed orationem etiam civium pacem, flagitantium, repudiari. Neque enim ego illa, nec ulla unquam secutus sum arma civilia, semperque mea consilia, pacis et togae socia, non belli atque armorum fuerunt. Hominem sum secutus privato officio, non publico: tantumque apud me grati animi, fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens et sciens, tanquam ad interitum ruerem voluntarium. Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit. Nam et in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, et in ipso bello eadem etiam cum capitis mei